



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore  
Animato Lib. VII.**

**Dandini, Girolamo**

**Parisiis, 1611**

Digressio 5. de diuersis formarum gradibus, ad tex. com. 6.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

magnopere superat. Eam igitur necesse est habere corpus accuratius multo dispositum, quam relique habeant formæ; illudq. aptum ad plurimas atque inter se plurimum discrepantes functiones obeundas. Cum primis autem oportuit corpus hoc non esse ita integrum & coniunctum, quemadmodum est cæterarum formarum subiectum: sed solutum magis & quasi vinculis colligatum; ut facile flecti posset atq. pro partium diuersitate ad alias atq. alias operationes perficiendas inclinari. Hinc partium ac membrorum diuersitas, veluti organorum, quæ alijs atq. alijs operationibus ministrarent; & idè diuersis, item qualitatibus & figuris affecta esse debuerunt.

Anima comparatione corporis tum forma, tum agens.

Forma partiales.

Duplex anime corpus.

Et anima sit actus partium homogenearum.

Ita factum est, ut anima comparatione sui corporis, tum rationem habere formæ comparatione suæ materiæ, tum rationem agentis principij comparatione instrumenti. Principium namq. & opifex operationum omnium anima est, quæ corpori, diuersisq. eius partibus, ceu instrumentis, ad eas exequendas, perficiendasq. vitur. Vnde confici posset inesse in singulis partibus corporis præter animam proprias earum formas, quibus diuersæ partes aptæ euadant diuersarum operationum instrumenta: animæ tamen tanquam principi atque omnium moderatrici subordinatas. Verùm de hoc postea. Nunc fat sit ostendisse causam eius, quod ex effectu duntaxat affirmauit Philosophus: cur anima ad solum organicum corpus referatur, quod plures habeat diuersæ rationis partes.

Quæ cum ita sint, Quid in præmio ad hosce libros scripsit Philoponus, & in expositione sæpius repetit: viuentium animam duplex habere corpus, cuius sit actus. Vnum crassum hoc & palpabile, quod cernimus oculis & manibus contactamus. Alterum tenue ac spiritale, quod nec cerni potest, nec tangi. Quare de intelligente anima loquens eam affirmat, posse quidem ab hoc crasso & sensibili corpore separari, tenue tamen illud alterum ac spiritale nunquam relinquere. Et idè apparere interdum spectra circa mortuorum sepulchra, animaliaq. cum hoc corpore apud Inferos torqueri. Cæterum hæc omnia corpora sunt homogenea, & sibi vbiq. similia, in quibus instrumentorum diuersitas nulla. Vidit hoc & conatus est vitare Philoponus in Commentario ad tex. 19. sed in alium errorem incidit; spiritum inquiens (hic enim videtur esse tenue illud corpus) esse organicum. Cum tamen totus sit vbiq. sibi similis. Neque corpus simplex & inorganicum potest esse tale, integrum, perse, & adæquatum animæ subiectum. Nam si de partiali & adæquato sit sermo, quod non per se cohæreat, sed in eo toto & integro, in quod suscipitur anima: potest sanè inorganici quoque multi tamen, non simplicis corporis actus esse anima. Quod in carne, ossè, neruo, cæterisque eiusmodi partibus manifestum est. Nutriuntur enim & augentur. Iis tamen non inest anima, nisi quatenus in toto inest organico corpore, quod ex illis omnibus coagmentatum est. Quam ob causam iure optimo solius organici corporis dicitur esse actus. Quoniam si partes eæ à reliquo corpore auellantur, nullam in seipsis retinent animam, nullam vitam.

Primum igitur & adæquatum animæ subiectum proposuit Philosophus totum corpus, ut ex illis omnibus partibus constat, quæ ad illius integritatè

atque absolutionem pertinent. Atque hæc ad præsentis loci interpretationem, quantum Commentarijs ratio patitur, latis. Nam quomodo sit actus corporis & singularum eius partium, diligentius post examinabitur.

Digressio U. De diuersis formarum gradibus.

Dum hoc loco plantas Philosophus inter viuentia numerauit, non iam vniuersè animam, sed illius species cepit nominare. Quæ res eo longiorè postulat & accuratam magis operam, quo certius aliquid de omnibus animæ partibus vegetantem formam vere animam, plantaque animatas esse negarent. Quod Stoicos sensisse, stirpium formam naturam potius, quam animam, appellantes; legimus apud Galenum in 6. Hippocratis librum de vulgaribus morbis com. 5. particula. 5. & lib. 6. de Hippocratis & Platonis decretis cap. 3. Et Theodoretum de Græcorum affectionibus lib. 5. Alij contra, sentientem quoque animam illis dederunt, eas dolere inquietas, lacrymari, & id genus alias operationes edere. Quod ab Anaxagora fortasse & Empedocle didicerunt, de quibus hæc ipsa in priore libro de plantis cap. 1. Philosophus prodidit. Parcius Proclus com. 3. in Platonis Timæi ex Platonis sententia postremam atq. obfensissimum plantas habere sensum voluit; non sensum qualitatum, sed suauis & molesti. Alij verò duplex animæ genus placuit, vegetans & cognoscens: hocque posterius in sentiens rursus & intelligenti subdividerunt. Alij vegetanti, sentienti, intelligenti addiderunt mouens de loco ad locum. Alij etiam appetens. Ac demum alij cogitans.

Verùm sapientissimè organo Peripatetici tria animarum genera profuerunt, vegetans, sentiens, & intelligens: ut videre est in 2. libro de animalium procreatione cap. 3. & in toto hoc opere de anima. Quibus item in locis plantæ inter viuentia & animata corpora numerantur. Et in tex. præfatum 83. 93. & 95. lib. 1. & tex. 14. 2. huius lib. & in priore lib. de plantis, eas vita frui, hoc argumèto demonstrat, Quoniam nutritionis & accretionis principium habent in se ipsis. Cum vita, inquit Alexander in priore lib. de anima. cap. 8. omnibus viuentibus inest ex animæ præsentia; stirpes autem viuant, habebunt igitur animam stirpes, & est stirpium anima virtus, qua intercedente viuunt. Viuunt autem quatenus & nutriuntur & incrementum sumunt. Igitur vis alitrix & auctrix anima & species stirpium est. Hæc Alexander. quin etiam procreationes, eoque ipso modo quo animalia semen tanquam aliquid ex sua substantia supeditant. Has enim operationes cum in animalibus certum sit oriri ab anima, iniquum est Themistij iudicio in extremo primo lib. de anima in plantis existimare non ab anima proficisci. Ad hunc igitur modum ratiocinemur.

Propria vis formæ, ut est forma & actus, in eo cernitur, ut sit actus determinata species, quæ tanquàm vltima perfectio consequatur operatio. Itarum naturalium formas ab illis distinguimus, quæ arte producantur, quòd hæc stolidæ sunt & quasi mortuæ, illæ efficaces atq. alicuius operationis principium. Porro in hoc plures sunt gradus. Primus est illius formæ, quæ operationem quidem edit, at non

in eo, in quo ipsa est, sed in aliud quidpiam. Quomodo ignis air in lignum. Et si enim omnis forma naturalis alicui operationis in eo in quo est, principium existat: quaedam tamen alias habet in aliud, cum quibus dum comparatur, gradum quandam formae omnium postremum constituit. Etenim quod perfectior est forma, eò magis eleuata est & abstracta à materia. Quoniam ita magis à potestate & imperfectione materiae recedit, atq. ad actus perfectionem accedit. Hæc autem eleuatio consideratur potissimum in quadam certè inchoata reflexione ipsius supra suam operationem, vt & conuertere se possit & in seipsam operari. Hoc enim solum omnino & liberum actum significat. Atque in Deo & Intelligentijs, in quibus absolutissimus est, perfectissimè reperitur; in ceteris quoquomodo: Si quæ igitur esset forma, quæ in aliud duntaxat operandi principium foret; ea sanè in finem esse formæ genus. Quoniam nulla esset reflexio, nulla à materia eleuatio. Ac quia nulla eiusmodi existit forma, primus hic operandi modus nullum formæ genus ab alijs diuersum constituit. Sed quidpiam potius est formis omnibus commune: distinctioque graduum formarum ex singularum proprijs operandi modis querenda est.

*Secundus gradus.* Alter igitur gradus est formæ, quæ principium est primò & per se operationis in eo, in quo est. Hæc nimirum est natura in 2. physicoꝝ libro definita. Atq. in hoc conueniunt omnes formæ inanimatarum rerum, tum simplicium, tum mixtarum: si modo hæc quoad operandi principium, & non potius quoad entis naturalis constitutionem sint natura. Vtroque enim modo naturalia à non naturalibus distinguuntur; essentia inquam & operatione. Quod & essentia ex materia & forma constat, & forma non sit iners & stolidà, sed efficaç atque in operationem prorumpens. Iam verò in hac operatione vestigium aliquod reflexionis cernitur. Quia etsi eadè forma non dum ita seipsam moueat, vt per se primo sit principium & subiectum motus: dum tamen ab ea profectus motus in altera sibi coniuncta parte, hoc est in materia suscipitur; compositum, in quo ipsa inest, verè affirmatur mouere seipsam, habereq. in se principium & subiectum motus. Atque in hoc aliquod reflexionis vestigium apparet. Nihilominus adhuc est hæc forma imperfecta, tum propter imperfectam reflexionem, tum propter operationis determinationem. Nam quia est forma prorsus materialis, non potest perfectè in seipsam agere, nec nisi vnã promere operationem.

*Tertius gradus.* Post hunc alius est tertius perfectior gradus illius formæ, quæ ita est operationis principium, vt sit item subiectum, & verò etiam quomodo obiectum: dum per eam compositum & à se & in se operatur ratione diuersarum partium. Propterea hæc formæ corpus postulat eterogeneum, quod naturæ diuersæ partibus constat: Sic enim vnã potest in aliam agere. Atque hæc forma, qua primus viuentium & Animatorum gradus absoluitur, plantarum & vegetantium proprius est. Viuere enim & animatum esse, si per se & solitariè consideretur, proque actu secundo & operatione sumatur, nihil aliud significat, quàm ratione aliarum atque aliarum partium à se ipso moueri. Nam etsi in anima quoque moueantur à seipsis: non

mouentur tamen nisi ratione totius, atque vnò tantum modo: animata pluribus modis & ratione diuersarum partium: Hoc in plantis primum apparet: & idè illarum forma primus ponitur viuentium atque animatorum gradus. Verùm cum quælibet forma duplicem vim habeat, absolutam vnã, alteram operatricem: plantarum forma quoad esse absolutum nequaquã videtur ab inanimatis formis distingui. Etenim forma est prorsus materialis & quanta: quæ vt det quodpiã esse perfectius, non magis tamen videtur efficere genus formæ diuersum, quàm forma efficiat misti, nobilior multò, quàm elementi forma. Quoniam quod esse essentiale & absolutum nihilò magis eleuatur à materia. At si vis operatrix consideretur, eadèque illa forma spectetur quatenus esse quoddam adfert, quod eiusmodi operationum principium sit; sanè plantarum formam genus formæ diuersum dixeris: quia in hoc supra omnes alias formas magno opere eleuatur. Quod ex operationibus, atque operandi modo cognoscitur. Nutrit enim planta seipsam, auget ad omnes situs differentias, generat tribuendo aliquid ex sua substantia vnã parte agit in aliam, vt radicibus vim ceteris communicando. Ac demum certis, statiq. temporibus & ad quandam vique terminum operatur. Quare si ex operatione, atque operandi modo licet colligere esse operatiuum, & formam, quæ operandi principium est; negari non potest, vegetantem formam à ceteris omnibus diuersam esse. Quod alia plura confirmant, quæ in plantis visuntur: ab alijs prorsus formis discrepantia. Habent enim locum à corporibus merè naturalibus distinctum. Dum hæc domicilium habent in natura determinatum, sursum aut deorsum: plantæ plura videntur occupare loca, dum partem vnã terræ infixam habent, & reliquas in superioribus elementis erectas expansasque. Deinde aërem postulant non quouis modo, sed quàm optime dispositum ad cælestem actionem suscipiendam. Nam nisi solis calore foueantur sæpe, arescunt aut putrescunt. Non quòd ea calore hoc solis nutriantur; sed quòd cum imbecillior sit natiuus earum calor, solis calore fouendus est & excitandus, quemadmodum animalia cordis & arteriarum pulsu insitum calorem excitant & fouent. Neque tantopere calore solis indigent sed cum in se ipsis principium hoc habeant, ferè satis est illis generalis ille calor, quo tota hæc inferior natura fouetur & conseruatur. Postremò corporis accedit organizatio, partiumque diuersarum seu animæ organorum distinctio. At operationes plures obeundas: cuius hoc loco Philosophus meminit. Cum in omnibus merè naturalibus corpus sit homogeneum, totumque sibi simile. Quoniam natura est ad vnum determinata, nec nisi ad vnum operationis genus corpore illo vti debet. Denique ex animalibus, quæ constat viuere & anima, frui, habentque corpus organicum & animam illius actum; plantas quoque ratiocinari licet & vita & anima præditas esse: eamque cum tot tamque diuersarum operationum principium existat, atque in omnibus tantopere à merè naturalibus formis discrepet; efficere genus formæ ab illis omnibus diuersum, magisque à materia eleuatum.

Iam verò ex hac conditione formæ, qua viuentia à non viuentibus distinguuntur, perfectiones com-

Plantarum anima.

plures oriuntur, tum ex parte ipsius formæ, tum ex parte materiæ, quæ ab huiusmodi forma actuatur. Ex parte formæ magna facultatum atque operationum varietas. Quarum aliqua ad conseruationem indiuiduæ naturæ spectant; vt nutriens, quæ consumpta substantia renouatur. Aliæ ad perfectionem, tum ipsius naturæ quoad partes integritatis, tum operationes: vt facultas altera, quæ membra omnia ad perfectionem perducit. Aliæ demum ad perpetuitatem & conseruationem speciei, vt facultas sibi simile procreandi. Quæ virtus in rebus quidem inanimis item reperitur, quoniam hæc quoque propter vniuersitatis huius perfectionem conseruari debuerunt. In viuentibus tamen est multò perfectior. Tum quòd non quouis, sed certo & determinato tempore quasi cum quadam libertate procreant. Tum quòd aliud generant dando illi aliquid ex sua substantia. Quam ob causam perfectiùs in illis cõseruatur identitas, dum aliquid gignentis in genito remanet. Tum demum quòd vim etiam habent attractricem alimenti, ex cuius quadam parte sibi simile gignantur. Et parte verò corporis hoc inanimis animata præstant, quòd illorum corpora non sunt homogenea, naturæq; ac constitutionis simplicis, sed eterogena: cum magna scilicet, tum partiũ, tum quantitatum & figurarum, tum qualitatum & cõplexionum varietate. Atque vt in toto, sic in partibus singulis quantitatem requirunt summè determinatam, figuram certam, cõstitutam dispositionem ac situm earum, cum admirabili quodam ordine superioris & inferioris, anterioris & posterioris, dextri & sinistri. Quæ omnia ad diuersas ordinantur operationes. Tametsi partium hæc dispositio, nisi fortasse in ratione superioris & inferioris, non tam fit in plantis, quam in animalibus conspicua. Hic igitur est tertius formarum gradus, ilque viuentium primus, plantarum ac stirpium proprius.

*Plantæ vt  
mori dis-  
cuntur.*

At enim vitam & mortem in quibus ita connexas esse, vt ea, quæ dicuntur viuere, verè etiam affirmantur mori: plantas autem nequaquam dici mori, sed arefcere potius, vt in cap. 14. lib. de vita & morte scripsit Philosophus. Non negauit is plantas mori, vt mortem definit extinctionem esse nutriētis animæ cum calido. quoniam cum in illis quoque insit hæc anima, eius extinctio mors appellari potest. Sed quatenus alterum mortis genus, quòd est per marcorem, in plantis ariditatem potius voluit nominari. Tum quòd dum moriuntur arefcant. Tum quòd cum vita sit formaliter permansio seu conseruatio animæ in corpore, ea ex duobus pender, aut ex solis qualitibus materialibus & dispositionibus corporis, maximèque ex innato humido: aut etiam ex animæ quadam facultate, quæ vitalis appellatur, quòd hoc sit proprium illius munus, vt vitam tueatur & conseruet. In plantis autem priori tantum modo conseruatur: posterior animalium perfectiorum, quæ cor habent & arterias, proprius est. Itaque cum ea propriè dicantur viuere & mori, quæ vitali hac facultate vtuntur, meritò hanc negauit propriam vitam, mortisque notionem inesse plantis, quæ deficiente solum humido ita pereunt, vt planè siccentur & arefcant.

*Quartus  
gradus.*

Quartus formarum gradus ille videtur esse, quo forma ita cleuatur à materia, vt præter hæc omnia, quæ hætenus dicta sunt, adferat

etiam materiæ præclarior quoddam & perfectior esse, quam sit aut esse formæ merè naturalis, aut etiam vegetantis animæ. Hocque non solum fit operatiuum, sed etiam absolutum: nimirum esse cognoscens. quòd quidem videtur esse quodammodo immateriale; quo cognoscens recipit in se ipso omnia, non eo modo sensibili & materiali, quo sunt in seipsis; sed altiori quodam, nempe in esse cognito, siue per speciem aut imaginem sui, siue potius per ipsam cognitionem actum; de hoc enim post agendum erit. Vtrouis autem modo tota res cognita in cognoscentem transfertur; nec tamen in eo efficit molem; verèque anima, dum omnia in se suscipit, cognoscendo fit omnia. Hoc animalium, quæ sensum habent, proprium est. Et idèd sentiens anima, cuius est hoc bonum, quartus formarum gradus constituitur, qui commemoratos omnes alios, tum esse operatiuum, tum esse absolutum superat. Nam si obiectorum susceptio, veluti antecedens operationem cognoscentem passio fit speciei susceptio; etsi hæc non fit susceptio nisi rerum singularium & materialium; cleuatur tamen magnopere à materia, quia modo quodam immateriali suscipiuntur, neque ex illis fit aliqua moles in cognoscente. Sin autem non speciei susceptio fit, sed ipsiusmet actus cognitionis, quæ operatio est, quæ in eodem suscipitur, à quo producitur: ea est idem re cum operatione cognoscente; & variatione distinguitur, eam consequitur. Estque obiecti susceptio in cognoscente nobilior multò, magis que cleuata à materia, qua præstantiori, minus que materiali modo anima cognoscendo fit omnia, dum inesse cognito omnia in se commutat, atque in suam conditionem transfert. Quo ad esse autem operatiuum, multò plures adiunt & facultates & operationes. Nam præter eas omnes, quæ in plantis insunt, habent animalia cognoscentia, appetendi actum elicitum, seseque loco mouendi facultates. Immo in vegetantibus quoque operationibus animalia plantis meliora sunt. In nutritione quidem & accretione, propter plures ac diuersas coctiones, quibus plura item in corpore vasificata sunt. In procreatione autem, quia non exponunt semen, suamque virtutem extero agenti, quemadmodum plantæ; sed illam ipsam materiam, quam genito largiuntur, in alio diuersi sexus animali fouendam & perficiendam collocant. Atque hinc necessitas diuersitatis sexuum in animalibus; quæ in plantis non reperitur: vt vnum agentis vim habeat, alterum suscipientis. Iam in cognitione præter speciei susceptionem, obiectiue presentiam, opus est animæ attentione & quasi conatu, actumque elicitum: alioqui nulla cognitio. Hicque actus remanet in ipsa anima; quo immateriali quodam modo commutat in se omnia, sitque cognitione omnia. Post cognitionem autem appetitione in bonum cognitum sibi conueniens inclinatur, actumque elicitum mouetur. Quæ facultas modum habet operandi prorsus diuersum, immò & antecedenti oppositum. Facultas namque cognoscens trahendo ad se obiectum & illud sibi assimilando operatur: appetitus impellendo potius animal ad obiectum, illudque illi simile efficiendo. Appetitus inclinationem significat & applicationem animalis ad bonum illi conueniens: idèd animalibus datus est, vt vile à noxiò separent. Vnde quies & expletio post adeptum bonum,

bonum, aut tristitia & dolor si prohibeatur. Itaque ut duplex est gradus appetentis formæ; sic duplex distinguitur appetitus. Vnus naturalis; qui non facultatem vllam significat, nec principium ab ipsa forma distinctum, nec actum vllum secundum; sed solam formæ, aut naturæ propensionem in suum bonum. Hic in formis etiam merè naturalibus, vel etiam in plantis agnoscitur. Immo in tex. 8r. lib. 1. Phyl. materia quoque dicitur appetere formam, & turpe pulchrum. Alter animalis; qui cognitionem consequitur, & facultatem significat à cæteris distinctam, quæ vim habet actum secundum edendi; atque in solis cognoscentibus reperitur. Porro ut cognitionem cogniti boni appetitio sequitur, sic appetitionem consequi oportuit progressionem ad appetitum bonum. Alioqui frustra appeteret anima, si ad consequendum moueri non posset. Magnam omnino habet is motus libertatem, & summam in omni vicia commoditatem, nam cum non attrahant ex terra cibum, ut plantæ; opus habuerunt incessu, quo cibum vndique quaerant.

Quocirca iam non erit mirum, si in corporibus quoque tanta sit plantarum atque animalium discrepantia. Etenim in animalium corporibus maior multo varietas, distinctio, & organizatio partium, præsertim verò earum accedit distinctio, ex qua reflexio maior & libertas; vt vnum membrum possit seipsum, & aliud sibi propinquum susterre, vna pars moueri & alia quiescere. Deinde maior est quarundam partium multitudo, vt carnis; & aliarum durities, vt ossium. Tum verò qualitarum & temperationum diuersitas; quòd & plures sint in eodem corpore partium temperatura, & maior calor non quicunque, sed vitalis. Postremo perfectior est partium in corpore dispositio, tum inter se, tum in ordine ad locum. Et ideo perfectissimè in his reperitur omnes situs differentia.

Quintus & supremus gradus eius est forma, quæ dat esse penitus immateriale, nempe esse intelligens; quo res cognita non solum à modo existendi sensili separantur, sed ab omni etiã singulari conditione; solaque earum essentia percipit vniuersa. Neq. materialia solum immateriali modo; sed & ea, quæ re ipsa sunt immaterialia & abstracta, cognoscuntur. Hic est gradus intelligentis animæ; quæ homo intelligens aut susceptione specierum & imaginum planè immaterialium, quæ intellectui res omnes representant, aut actu ipso intellectio nis tanquam intellectæ rei forma sit verissimè omnia inesse quodam intellectibili eleuatissimo & penitus immateriali. Quemadmodum enim sentire, ita & intelligere est quoddam pati. Siue quòd operationem intelligendi susceptio antecedit intellectuum specierum, quæ nobilissimo modo ponantur omnia in anima, tum sequatur intellectio nis operatio. Siue potius quòd intellectio ipsa, dum in intellectu suscipitur, passio quædam sit. Itaque hæc anima eleuatissimum quoddam esse dat, tum absolutum, tum operatiuum. Absolutum, tum quia adfert illud esse, quo homo aut suscipiendo, aut magis intelligendo fit omnia perfectissimo atq. immateriali modo. Tum quia ipsa est immaterialis & abstracta forinsecis adueniens, eiusdem prope modum cum separatis mentibus naturæ, atque impartibiliter existens in corpore: vt & ab alio non

pendeat, & verè dici possit forma inter separatas & alias omnes media; & vt dixit Proclus Commentario; in Timæum *ἀμείψθη τὸν καὶ ἀμείψθη*, hoc est bifrons & anceps. Non solum enim adfert operationem, vt cælestium orbium motrices; sed esse quoque vt cætera. Nec tamen quemadmodum hæc extenditur, aut pendet à corpore: sed vt illa abstracta & inextensa permanet. Adfert etiam eleuatissimum, ac mentibus separatis per similem operandi modum. Quomiam præter illas omnes facultates, quas in plantis dictum est & in animalibus cæteris inesse; duas addit planè admirabiles, omnique natura mortali superiores; intellectum & voluntatem. Intellectus à rebus singulis & materialibus abstrahit, vniuersalique naturas, & immateriales cognouit. Voluntas potest bonum abstractum vniuersè, & absque materia appetere. Vt quemadmodum appetitus sentiens res singulas & materiales sensu perceptas; sic voluntas, appetitus intelligens, vniuersas quoque res & immateriales intellectu cognitas desideret. Verùm cum hæc anima sit natura abstracta, minime quæ à corpore pendeat, perfectissimam in sua operatione reflexionem habet; vt actiones hæ intellectus & voluntatis à sola proficiantur anima, atq. in ea sola suscipiatur: quippe à principio sua natura separato profecta. Quare distinguuntur plurimum ab operationibus sentientis animæ; quæ cum à forma, quæ est in materia proficiantur, in toto coniuncto suscipiuntur; neque se ipsas, suumque principium possunt cognoscere. Sola intelligens anima non modo principium est & subiectum, sed obiectum quoque suarum operationum. Potest se ipsam intelligere & amare, suamque intellectio nem & volitionem, hocque in infinitum progrediendo. Et ideo perfectissimum habet dominium, summamque in suis actionibus libertatem, & in reliquis etiam inferiores facultates imperium.

Denique præter hæc omnia formæ huius perfectio ex perfectione materia, cuius ea est actus, cognoscitur. Humanum enim corpus perfectissimam habet dispositionem, organizationem, distinctionem, figuram, & membrorum omnium summè determinatam quantitatem, vitalis caloris maximam copiam, conformationem totius corporis erectam, quæ ex magna vi caloris oritur, carnem & cutim delicatissimam, differentias situs manifestissimas, totam demum corporis figuram accuratissimè elaboratam. Ex quo tandem intelligas, quam merito Philosophus in superiori contextu, vt animatum corpus ostenderet organicum esse oportere, argumentum deduxerit à minori ad maius, à vegetante plantarum anima, quæ minore, ac simpliciore organizatione contenta est, ad sentientem cæterorum animalium, atque intelligentem hominis propriam, quibus maior multo natura opera, accuratiorque industria est necessaria.

Post hæc omnibus addi formarum sextus gradus à materia penitus abstractus & per se subsistens, nempe separatarum mentium & Dei. At quoniam de illis dicitur formis, quæ dant esse materiæ, nunc agimus; de illis nihil hoc loco dicendum est.

Ergo vt ex hac proluxa satis ratiocinatione aliquem veluti fructum colligamus; si primus omitteretur gradus, quem distinctum ab alijs formæ genus diximus non constituere; tota formarum latitudo inter materiam & Deum mentisque sepa-

FF

Appetitus duplex.

Animam in corpore.

Corporis animalis.

Quintus gradus.

Animæ intelligens bifrons & anceps.

Corporis humani perfectio.

Sextus gradus.

72

ectus  
aut  
m sic  
esse  
dam  
in se  
quo  
esse  
sue  
enim  
ta res  
amen  
niam  
ima  
ided  
s for  
ratos  
solu  
velut  
ho sit  
si re  
amen  
ma  
nolos  
epio  
ratio  
tr: ca  
vtra  
obie  
ma  
inif  
om  
nura,  
d esse  
acul  
que  
endi,  
di fi  
per  
nati  
de  
era  
non  
zero  
plam  
uerit  
ollo  
uum  
r: vt  
entis  
nem,  
tione  
a co  
nima;  
in se  
nitio  
n sibi  
etur.  
s di  
acul  
obie  
ctus  
q. illi  
gnifi  
nue  
noxio  
ptum  
um,

*Formam  
quatuor  
gradum.*

ratas contenta, tanquam inter duo extrema, quatuor omnino est graduum, inanima forma, vegetantis, sentientis, intelligentis. Hicque ex minori aut maiori eleuatione à materia, hoc est ex alio atque alio formandi ac dandi esse modo deduci sunt. Atque in illis cernitur is ordo à natura sapientissimè potius, ut superior inferiorem supponat, maioremque illi perfectionem quampiam addat. Ut scilicet hoc modo inferiora cum superioribus coniungantur, atque ad illa gradum quandam præstarent.

*Tria ani-  
marum  
genera.*

Quòd si primum inanima forma gradum separas; tres omnino gradus, triaue animarum genera habebis. Triplex enim duntaxat à materia eleuatio esse potest. Vna forma penitus immaterialis. Altera forma omnino materialis quoad esse; quoquo tamen modo quoad operationem eleuata. Tertia inter has media; materialis quidem, quatenus à materia pendet & organo, siue spectes esse, siue operationem: aliqua autem ex parte immaterialis, quatenus est cognoscens. Cæterum intelligentem animam, quæ suprema existimatur, non ideo dicimus facere genus animæ à cæteris diuersum, quòd ipsa sit genus (nullas enim habet sub se species, ut plurimas habent vegetans & sentiens: cum sit species infima, & atoma, quæ numero solum diuersas animas continet) sed quòd speciale illud esse, quod ipsa dat materiæ, ordinis alterius sit, quam esse cæterarum materialium ac mortalium animarum, pertineatque ad aliud abstractarum atque immortalium naturarum genus. Reliquæ autem omnes mutorum anima vnicum genus faciunt; itemque plantarum formæ. Quoniam omnes habent esse & operationes eiusdem ordinis, in quo vna non est magis, quam altera eleuata. Eandem ob causam neque appetens, neque loco mouens genera sunt animarum à tribus illis diuersa: sed ad sentiens, aut rationalis appetitus ad intelligens reuocantur. Tum: quòd diuersam à materia eleuationem non significant. Tum quòd formam, actumve aliquem distinctum, & sibi proprium non habent. Sed cognoscentem potius, sentientem inquam aut intelligentem, comitantur: adduntque appetens inclinationem in bonum cognitum ut sibi conueniens, & mouens progressionem ad illud bonum appetitum. Et ideo appetitio ex cognitione nascitur, progressio ex appetitione. Quare cum sentientem actum aut intelligentem supponant, sintque illius facultates quedam & operationes; ad illum merito reuocantur.

*Anima  
intelligens  
ut genus  
anima  
diuersum.*

*Quatuor  
animato-  
rum, &  
quinque  
facultatum  
genera.*

Postremo ex his omnibus intelligitur, quam ob causam cum tria tantum sint animarum, quatuor tamen animarum genera proponantur, vegetans, sentiens, mouens, intelligens. Namque si principia spectes, quibus & animata & facultates constituntur; ea non nisi tria reperies. Tres inquam animas, quæ & animata omnia sustentant, & facultates quascumque producant. At si operationes & externa obiecta consideres, quinque profus distingues facultatum genera. Si demum intuearis subiecta, in quibus anima cum alijs atque alijs facultatibus sit; tum demum quatuor fatebere animarum genera. In quibusdam enim solitaria est vegetans, ut in plantis; in alijs vegetans & sentiens sine motu, ut in Troophtis, & Conchilijs. In alijs adest item motus, ut in perfectioribus anima-

libus. In homine tandem intellectus quoque viget. Appetens quintum animatorum genus non fuit, quòd nusquam ab alijs separatim videtur; sed vbiicumque est sensus aut motus. Nam semper cum sensu appetitus quispiam est, ut post docet Philosophus; manifeste autem apparet, vbi est quoque motus.

#### TEXTVS.

*Εἰ δὲ πάλιν ἐπιπέσει τὸ πρῶτον εἰς τὸ δεύτερον, καὶ τὸ δεύτερον εἰς τὸ τρίτον, καὶ τὸ τρίτον εἰς τὸ τέταρτον, καὶ τὸ τέταρτον εἰς τὸ πέμπτον, καὶ τὸ πέμπτον εἰς τὸ ἕκτον, καὶ τὸ ἕκτον εἰς τὸ ἑβδόμητον, καὶ τὸ ἑβδόμητον εἰς τὸ ὀκτώμητον, καὶ τὸ ὀκτώμητον εἰς τὸ ἐνάμητον, καὶ τὸ ἐνάμητον εἰς τὸ δέκατον, καὶ τὸ δέκατον εἰς τὸ ἑκάστητον, καὶ τὸ ἑκάστητον εἰς τὸ ἑξήκοντον, καὶ τὸ ἑξήκοντον εἰς τὸ ἑξήκοντον, καὶ τὸ ἑξήκοντον εἰς τὸ ἑξήκοντον.*

*Si autem aliquid commune omni anime oportet dicere, fuerit vbiq; primus actus corporis naturalis organici.*

#### COMMENTARIUS VII.

**E**Xpositis satis ijs omnibus, quæ ad animæ definitionem colligendam necessaria, immò & opportuna videbantur; memor Philosophus sententio proposuisse querendam communissimam & maximè generalem eius rationem; concludit hoc loco, si quid dici possit omni animæ commune, illud esse id, quod ex hæcenus dictis colligitur: Anima est primus actus corporis naturalis organici. Quòd autem quasi sub conditione loquutus sit, si quid commune omni animæ dici potest, propter intelligentem animam factum interpretatur Averroës; quia non erat manifestum, an ea sub hac definitione comprehenderetur, verèque sit actus corporis. Simplicius & Philoponus, quia cum actus non dicatur synonymè, sed per prius & posterius de anima speciebus, vna perfecta communis definitio esse non poterat: quemadmodum neque in alijs, quæ sunt huiusmodi, sine particulari cuiusque propria definitione.

Quam hæc verè dicantur, post videbimus. Interim non eam arbitror fuisse causam, cur ita loqueretur. Sed ut hæc Conclusio propositioni initio factæ planè responderet. Tentandum enim sibi proposuit id, quod assequi non posuerant alijs, qui ante ipsum de anima philosophati fuerant; tentandum inquam exponere quam sit communissima illius ratio: Cum igitur propter rei difficultatem atque obscuritatem tentandum discesset, si quid assequi posset; æquum erat, ut colligeret id, quod tentando assequutus erat, consentaneè ita loqueretur: si quid commune omni animæ dici potest, aut si quid commune assequi possumus, erit profecto hoc, quod à nobis inuentum est. Rursum cum reprehendisset antiquos, quòd non vniuersè de omni anima loquuti essent, sed de quapiam solum illius parte: propterea nunc concludit; si agendum est de anima vniuersa, & aliquid de ea dicendum, quod ab antiquis fuerit ignoratum, erit profecto hoc, quod nos dicimus. Alioqui si hoc non sit, nihil omnino erit, sed nobis quoque de animæ partibus in specie agendum erit.

Posto

Cur per corpore finatur anima.

Porro nullus mirari debet animam per corpus definitam. Quoniam vt forma sunt imperfecte naturae atque alterius pars, sic alicuius alterius adiectione, quod extra ipsarum essentiam sit, explicare illas oportet: quemadmodum in 7. Metaph. libro de accidentibus idem Philosophus loquebatur. Sole integræ substantiæ, quæ perfecta sunt entia, absque alterius adiectione definiuntur. Deinde anima est actus & perfectio quæpiam, & ideo alicuius actus & perfectio. Omnique forma natura sua materiam respicit, quam est apta formare, atque ex illius cognitione in primis cognoscitur. Postremo prior definitionis pars est veluti genus commune animæ cum alijs plurimis. Nam est actus primus in actum substantiæ & accidentis diuidatur, hincque iam in tex. 2. contraxerat ad actum substantiæ, dum diuiso ente in 10. genera solam reiectis accidentibus substantiam retinuit. Et rursus diuidendo actum in primum & secundum contraxerat in tex. 3. ad actum primum. Nihilominus hoc totum est adhuc animæ cum alijs omnibus substantiæ formis commune. Differentia autem maxime querenda est ex materia, cuius sunt actus. Cùm enim inter materiam & formam sit mutua & essentialis proportio, vt ad vnum quiddam constituendum conueniant: nimirum ex diuersa conditione materiæ alio atque alio modo dispositæ licet optimè colligere ac distinguere diuersam formæ naturam; idque ex notioribus nobis. Quoniam materia ita disposita plures continet qualitates & accidentia sensata, quibus ad essentiam animæ, aliusve formæ cognoscendam perducamur.

Quocirca id, quod S. Thomas, Aegydius, & multi Latinorum dicunt, Philosophum in tex. 2. priorem & in tex. 3. posteriorem definitionis partem inuestigasse. Me quidem certè indice probandum non est. Quoniam in illis duobus textibus nihil omnino de anima dictum est; sed præmissa fuerunt quedam, ex quibus post in tex. 4. ad animam descendere, cæque omnia ad intimam animæ naturam inuestigandam referuntur. Hinc solum spectare quidquid de corpore dicitur; ex ijs perspicuum est, quæ tandem colligit. Sic enim concludit, animam esse actum primum, seu entelechiam primam corporis naturalis potestate vitam habentis.

Anima uolens.

Quid sit entelechia, dictum est. Sed eam vocem Plotinus in ipso initio libri secundi Aeneadis 4. & Nemesius in lib. de anima cap. 4. non probarunt, tanquam animæ minùs accommodatam. At mirificè probarunt reliqui omnes; optimèque explicare iudicauerunt vim & naturam cuiusque formæ: ac præsertim animæ, quæ omnium perfectissima est, iureque optimo perfectionis nomine appellatur; cùm sit maxima, tum materiæ, tum corporis perfectio. Quod verò ait Plotinus, videntem potius corpore, quam corporis perfectionem appellandam fuisse; minime verè dicitur. Hoc enim eam significat assistentem solum formam esse, non formantem. Neque etiam id, quod habet Nemesius, definiendum magis esse animam, substantiam perfectam incorpoream, probari potest. Tum quia hoc illi commune est cum separatis mentibus; immo eorum proprium. Siquidem anima non est substantia perfecta & integra, sed inchoata & dimidiata. Tum quia in ea definitione non explica-

atur vis formæ, quæ illi est essentialis. Tum etiam quia si Philosophum dolet is non addidisse substantiam, seu entelechiam substantialem, meminere id iam ab eo fuisse suppositum, aut etiam paulò post subiici. Denique dum incorpoream addit, non nisi intelligentem animam definire videretur. Nec minus reprehendendus est, quàm antiqui fuerint ab Aristotele reprehensi, quod non de anima vniuersè, sed de aliqua illius parte loquuti essent.

Est igitur anima entelechia prima comparatione operationum, quæ ab ea velut entelechiæ secundæ proficiuntur. Atque ita hac ipsa voce significauit Philosophus animam esse operationum principium, datæque corpori, tum esse absolutum essentialèque perfectionem; tum esse operarium plurimarumque actionum velut accidentarium perfectionum principium. Quod alterum quoque illud significat, quod additur (corporis organici) hoc est apti ad operandum instrumenti.

Est autem entelechia prima, aut tempore, vt anima sentiens & intelligens; aut saltè natura, quemadmodum vegetans, quæ statim atque est incipit operari. Semper enim operandi principium, natura saltè, prius est operatione illa, quæ ab eo tanquam effectus proficitur. Hæc est cuiusuis causæ conditio, vt natura saltè effectum suum antecedit. Porro animam esse entelechiam primam, certum est. Tum quia est substantia; tum quia natura saltè suis operationibus prior. Philosophus visus est vt argumento, quod ab actu secundo separatur. Quam ob causam fomino potius, quàm vigilia similem dixit: quia fomnus ab operatione separatur, eiusque priuationem significat: & scientia magis, quàm cõtèmplatione; quoniam absque cõtèmplatione per se scientia est.

Anima a sua priuatione.

Difficultatem adfert anima vegetans, quam ab operatione dixit nunquam separari. Semper enim nutritur quandiu est in corpore, vt in tex. 41. prioris lib. de ortu & interitu confirmatur. Et in animalibus perfectioribus pulsus habet & respirationem, quæ nullo vnquam tempore cessant. Aueroes quedam protulit animalia, quæ hyemino tempore dormiunt, nec quidquam comedunt: & ideo si non in omnibus, in illis certè hæc quoque anima operationem intermisit. Sed duobus modis peccauit. Primum, quod in somno maxime operari hæc animam legimus in extremo capite primo libri de fomino & vigilia, & cap. vltimo libri de moribus ad Nicomachum. Deinde quod quandiu natiuus calor in viuentibus inest, non potest non agere in alimentum. Immo deficiente alimento depascit ipsa membra. Quoniam naturaliter & necessario, non ex consilio, operatur in id, quod conuenienter cum eo coniunctum est, siue dormiamus, siue vigilemus. Et vt in cæteris operatur etiam dum dormiunt; quid tandem in illis solis actionem eius impediatur.

Anima ab operatione separatur.

Magnus Albertus actum primum interpretatus est forma separati à secundo; quia non est formaliter sua operatio: re ipsa non separari, nisi in anima sentienti, & intelligente. Thomas Caietanus vegetantem quoque dixit separari per non repugnantiam, quatenus anima est: etsi repugnet illi quatenus vegetans est, vitentisq. conseruatione spectat. Reliquas autè animas posituè & re ipsa. Et ideo animæ vniuersè conuenire intrinsecè, posse ab operatione separari,

saltem per non repugnantiam. Melius dixisset, per indifferentiam. Quoniam si alicui speciei id repugnet, plane dici non potest uniuerso generi non repugnare. Sed potius si generi non repugnet, neque speciebus dixeris repugnare. Quia quidquid conuenit generi, de speciebus item affirmare licet. At quoniam quedam est species, quae separari nequit; aliae, quae separantur; uerius dicitur uniuersum animae genus ad utrumque indifferentem esse.

Quamquam melius multo dicemus cum Themistio, duo inesse in somno. Alterum est forma, quae principium proximum est operandi. Alterum priuatio & operationis cessatio. Animamque dici actum primum, & cum somno comparari quoad primum, non quoad secundum. Habet enim principium proximum operationum; partimque refert, an illis aliquando priuetur, necne. Quomodo etiam scientiae per similes esse affirmatur: non quod ut scientiae habitus absque ulla operatione potest consistere, ita possit & anima. Sed quod ut illa & habitus quilibet, sic anima operationum principium, & aliquid illis omnibus natura saltem prius est. Atque ut natura scientiae & habitus, sic & anima vis non in operatione consistat, siue operetur, siue non operetur: sed in eo, ut sit forma ad operandum comparata.

Dici etiam potest, Philosopho, ut animam ostenderet esse actum primum, non secundum, satis fuisse aliquam animam ab actu secundo separari. Nam factis inde cognoscebatur, naturam animae non in operatione positam esse (alioqui nulla anima sine operatione inquam esset) sed in actu primo; etsi aliqua illius species penitus non separaretur. Sed quoniam & actus primus & secundus ibi reperiuntur; ex alijs animabus cognoscitur illam ipsam in actu secundo operante non consistere: uerum in primo materiam essentialiter perficiente, omniaque corporis membra ad operandum impellente. Sed uide vegetantem quoque animam ab operatione separari: a procreatione saltem & accretione. Non enim perpetuo procreat, nec semper auget. Quando autem alicui naturae plures insunt operationes, satis est, si ab una aliqua separatur; ut eam esse quidpiam ab operatione diuersum ostendamus. Quae etiam a nutritione & pulsu quoquomodo separatur. Non enim est una continuata nutritio totius uitae, sed plures omnino, a quarum singulis separatur. Neque eodem semper modo nutrit, sed interdum alterat cibum & preparat, interdum in uiuentem commutat substantiam; & interdum commutat plus, interdum aequale, interdum minus. Quare dum a singulis hisce operationibus separatur, satis apparet naturam eius ab hac ipsa operatione diuersam esse. In pulsu quoque uelocius aliquando agit, aliquando tardius: nonnunquam uehementius, alias remissius: estque integrum nobis respirationem aliquid quando cohibere. Eadem tamen semper est anima tanquam actus primus secundo prior. Itaque omnis anima est actus primus.

*Anima  
quomodo  
actus pri-  
mus.*

Dicitur autem actus primus, non solum quia secundum principium est (non enim essentialiter eam definiuisset, sed per accidentarium ordinem ad operationem); uerum quia est substantia & forma, quae absolutam habet entitatem, actum essentialem ante omnem operationem. Et quamuis actum primum dixisset per ordinem ad secundum; actum tamen primum nominasset tanquam illius ordinis fundamentum; aut per eum ordinem occultam ani-

mae substantiam, & actum formalem, quem primo dat corpori, indicasset.

At enim si actus secundus sit nobilior primo, quippe qui sit ultima rei perfectio, actusque primus sit propter secundum & forma propter operationem: dubitant nonnulli, cur animam nobilissimam formam actum potius secundum non dixerit. Nimirum ipsemet indicauit rationem. Est enim anima principium actuum omnium secundorum, atque ab omnibus separabilis. Et ut actus secundus sit quoquomodo & secundum quod nobilior primo; hic tamen absolute perfectior est. Tum quia substantia est; secundum uero formaliter accedens. Tum quia est principium & fons secundi.

Iam quod addidit, animam esse actum corporis naturalis; propriam, in qua suscipi debeat anima, materiam significat. Quid autem ea sit, & quid corporis nomen significet, non item constat. Aliqui Latini totum animatum interpretati sunt; conuictum inquam ex materia & anima tanquam forma. Quae interpretatio est quidem illi per similes, quam habent Graeci uerborum illorum superioris contextus (potestate uitam habentis) dum corpus potestate uiuens illud affirmant appellari, quod actum quidem habet uitam, non tamen ex se, sed ab anima. Ita enim corpus dici posset illud, quod animatum quidem est, sed aliunde, non ex se. Nihilominus probanda non est. Tum quia dicitur actus corporis uelut antecedentis materiae & alterius partis a se diuersa, quam actuare debeat, & cum ea unam substantiam coniunctam efficere, ut statim colligat. Tum quia in tex. 4. satis has duas partes distinxit; animam inquam non esse corpus, sed corpus esse subiectum animae & materiam. Tum quia in tex. 10. ex anima & hoc corpore animal totum constituitur: firmabit, sicut oculus ex pupilla constat & facultate uidentis. Oportet igitur corpus illud ita se habere ad animam, ut ad uidentis facultatem se habet pupilla. Alioqui nec illud corpus ab animali toto distingueretur, quemadmodum distinxit Philosophus, uelut partem essentialem a toto conuictio. Denique animam per illud corpus definire oportuit, cuius ipsa est actus & perfectio. Est autem actus & perfectio materiae, ut in tex. 2. Forma dicta est entelechia materiae. Et ut anima definitur ut animari totius pars, ita per alteram partem definiti debuit, ad quam ordinem essentialem significat, ut simul cum ea totum animatum constituat.

Reliqui ergo corpus intelligunt, quod est subiectum & materia animae. Sic enim in tex. 4. Aristoteles loquebatur. Sed sanctus Thomas, & qui eum sequuntur, corpus hoc inquam antequam accedat anima, esse primam materiam multorum formis singularium partium proprijs ornatam formis inquam carnis, ossis, nerui, & similibus: omnibusque qualitatibus, quibus ea ad suscipiendam animam apte disponitur. At quoniam tam multae formae simul cum anima esse nequeunt, abeunt illae dum accedit anima; solaque remanet prima materia, in qua immediate suscipitur anima. Quoniam uero superior forma inferiores omnes uirtutes continet, earumque perfectiones omnes adferre potest: anima prius dat materiae esse corporis, tum esse animae. Ita animam esse actum corporis interpretantur, hoc est primae materiae, quae corporis naturam ab eadem ipsa anima iam accipit.

Misti

Forma partialis

Mihi nunquam placuit ita Philosophari ; sed cum Gracis omnibus & Auerroë , corpus interpretari materiam cum eisdem illis diuersarum partium formis , quas tanquam dispositiones ad animam natura præmiserat. Nam si ea fuerunt necessarîe , vt anima produceretur ; multò magis eas tunc adesse oportet , quando accedere debet anima , & cum materia coniungi , atque cum ea consistere. Argumento esse potest , quòd non solum earum destructione recedit à corpore anima , & in bestijs plantisque prorsus extinguitur : sed etiam quòd in cæteris omnibus aliarum formarum dispositionibus ita fieri obseruamus. Nunquam enim aduentu formæ dispositiones antecedentes pelluntur , quin diligentissimè potius conseruantur ; dùmque destruantur illæ , simul quoque interit forma. Deinde hoc corpus ita affectum materia est seu subiectum anima. Materia & subiectum non pereunt aduëtu formæ , quæ actuare & perficere debet ; sed tunc maximè necessaria sunt , vt suscipiatur forma , eoque maximè tempore perficiuntur.

Neque interpretatio illa est huic Philosophi loco accommodata. Etenim hoc corpus , cuius actus est anima , ex illa deducitur diuisione substantiæ in materiam , formam , & compositum , quæ in tex. 2. fuit posita. Nam compositum in tex. 3. appellauit corpus , dixitque esse maximè substantiam ; præsertim corpus naturale , quod ex materia & forma certum est coagmentari : cuique interdum præter naturam corporis inest vita , interdum sola corporis moles absq. vita. Quare vt hæc omnia corpora præter primam materiam significant aliam formam , ita significare oportet illud corpus , quod est subiectum anima , quæ præter corporis naturam adfert quoque vitam. Voluit etiam Philosophus hoc corpus esse naturale. At omne corpus naturale ex materia & forma concretum est , ex tex. 4. lib. 4. Phys. Et quoniam materia distinguitur re à forma , separariq. possunt ; necesse est corpus illud per formam re ab anima diuersam cõstitui. Alioqui , si vt Latini illi loquuntur , res habeat , non corpus , sed prima materia erit re ipsa subiectum anima. Est item corpus organicum , hoc est plures in partes distinctum , quibus ad operandum vtatur anima. Præter animam igitur aliæ sunt cõplures formæ , quibus & partes illæ distinguuntur , & apta organa præparantur. Est enim absurdum animam dicere esse corporis & organi sui partem , formamq. materiæ & agēs instrumenti partem. Quod necessariò conueniens est , si anima sit actus corporis per ipsam , non per alias formas , constituti. Quid verò dubitatio illa ; Cur ex anima , & corpore fiat vnusquam de reliquis cõpositis non proposuit. Quòd peculiaris videretur esse de anima difficultas , quæ corpori seu materiæ per alias formas actu constituta aduenit. Deniq. accedunt illa , quæ in tex. 11. subijciuntur , animam non posse à corpore separari , nisi aliqua sit , quæ nullius corporis sit actus. Et rursum , num anima sit actus corporis , vt naua nauis. Nam si anima ipsa efficeret corpus , manifestum esset , nullam animam absque interitu corporis separari posse ; sed aliqua fortasse à prima materia separaretur. Perspicuum item foret , nullam esse animam , quæ nullius corporis sit actus ; aut sit actus sicut naua nauis , hoc est assilens , vt Latini illi interpretantur. Hæc & alia huiusmodi plura ostendunt planè , corpus illud quidem dici , quod anima subiectum est ; sed hoc significare materiam plurimis

**A** instructam partium formis , quibus ad animam suscipiendam , eiusque functiones exequendas aptissima sit.

Quod verò addit (naturalis) eam ob causam addit , vt illud à mathematico & artificio corpore distinguat. Corpus autem naturale est , quod materia constat & forma substantiæ , habetq. in seipso principium motus , tum patiendi , tum agendi , materiam & formam. Itaq. ex hoc loco per quam aptè colligunt Peripatetici distinctione animæ & naturæ. Nam etsi anima dici possit natura , si natura pro interiori cuiusuis naturalis operationis principio sumatur : si tamè eam propriè vsurpemus pro principio ad vnicam operandi formam determinato , ab eo iure optimo separant animam , vt superiorem formam , quæ naturam supponat , hoc est materiam & formam determinatam ad vnicam operationem ; & post accedat ipsa cum pluribus operandi modis : sitque actus corporis naturalis , hoc est materiæ habentis iam formam merè naturalem & potestate adhuc ad maiorem animæ perfectionem suscipiendam.

Verùm si anima distinguenda sit etiam à forma arte producta , quæ corpus item naturale supponit , lignum , aurum , marmor : addendum est , eam non modò naturale corpus supponere , sed etiam suo aduentu non mutare illud ex suo esse naturali ; verùm maximè conseruare & perficere. Artis forma naturali adiuncta corpori artificiosum illud , non naturale ; anima naturale adhuc nominat. Sunt enim animata naturalis corporis species. Ita anima est actus corporis naturalis ; hoc est corporis , quod & sua cõditione naturale erat antequam susciperet animam , & post animæ item formationem naturale perseuerat , maximèque in naturalium genere perficitur.

Oportet etiam hoc corpus esse organicum , propter eam rationem , quam antea significauimus. Quoniam cum materia sit propter formam , sese illi attemperare debet. Vt quemadmodum forma est apta dare materiæ , tum esse , tum operationem ; sic materia , tum ad suscipiendum esse , tum ad obeundas & sustentandas operationes omnes formæ sit apta. Quare cum anima aliarum atque aliarum operationum sit fons & origo , corpus necesse est in alias atque alias partes diuersæ naturæ velut illarum operationum organa esse distinctum. Neque diuersa hæc partium conditio qualitibus solis constare potest. Tum quòd anima non sit actus materiæ qualitibus solis affectæ ; sed naturalis corporis materia , formæque substantiæ constantis. Tum quòd ex diuersis qualitatum dispositionibus in diuersis partibus diuersas necesse est substantiæ formas progigni. Atque vt ex diuersis principum qualitatum coniugationibus diuersæ existunt simplices elementorum formæ ; sic ex diuersis earundem temperationibus diuersæ nascuntur mistorum formæ , ex quibus manus , pes , caput , cæteræque organicæ partes coalescunt , quibus anima suas omnes perficiat operationes.

At enim S. Thomas & qui cum sequuntur corpus , inquiunt , ante aduentum animæ fieri quidem organicum ex diuersis hisce formis re ab anima distinctis : verùm ea mox accedere omnes illas fugari , solamq. animam organa sibi fabricare , dum materiæ dat omnia illa esse partium , quibus organicum corpus fiat. Atq. in hac definitione corpus organicum significare compositum ex materia & for-

Corpus naturale quid.

Anima an natura.

Corpus organicum quid.

ma, quatenus dat esse omnium illarum partium, & adhuc est potestate ad esse animatum, totale, specificum & perfectum, atque ad animæ operationes. Quæ interpretatio duplici videtur argumento niti. Altero, quod plures simul formæ esse nequeant. Altero, quod corpus absque voca bannus. Et Philoponus ex hoc colligit, duo hec idē significare: quod cum Aristoteles antea dixisset (potestate vitam habentis) nūc dicat (organici) altero vitæ pro altero. quod ex Alexandro in 2. lib. naturalium questionū cap. 8. acceptum est. quinetiam inquit Simplicius omiffum fuisse (potestate vitam habentis) quod in organico comprehenditur. Viuere enim necesse est illud, quod anime organū ad operandum futurum sit: atq. duo in idem incidere affirmavit, dum tex. 5. exponeret. quia quod potestate vitā habet, necesse est esse organici: quodque organicum, esse item potestate viuēs. Hoc modo accipiendum est id, quid interpres idem dicebat, v. tramq. illam particulam in definitione ponendam esse: Non inquam, quoad sonum vocum, sed quoad significationem, rēmq. duplici illa particula significatam. Et quoniam vtriusque significatio in alterutra cōtinetur, satis est alteram in definitione commemorare.

Verum si casuerat probè percepta, quæ aduersus eam corporis formam proposuī, quam illi ipsi Authores proferebāt, planè intelligitur neq. hanc organici rationē esse probādam. Sed eam potius, quæ oritur ex ratione corporis explicata; quamq. antiquiores Peripatetici tradiderunt ex proprijs partium formis existerē. Neque enim debet anima sibi fabricare, sed supponere corpus organicum, eōq. ad operandum vitæ. Sicut quilibet forma non facit sibi materiam, sed præparatam supponit, eiq. aduenit, atq. antecedentibus qualitatibus, ceu instrumentis vitæ ad agendum. Fateor corpus per ordinem ad operationes cōsideratum homonymè organicum nominari, nisi fuerit animatum, atque operandi vim ac principium habuerit. Si tamen ut subiectum & materia spectetur, quæ potestate sit ad animam, quemadmodum in hac definitione accipitur, proprijsimè appellatur. Quoniam verò tantopere formatum multitudinem veretur, cōcedam illis plures formas totius, quæ speciem cōstituant, simul esse non posse. At vicissim cōtendam plures eas esse, quæ sunt partium, velut dispositiones ad præstantiorem aliam speciei formam. Idq. in ea præsertim materia, cui debeat anima aduenire. Multoq. plures in animalibus, quam in plantis; & in animalibus perfectioribus plures, quā in imperfectioribus. Quia quod perfectior est forma, perfectiorem materie dispositionē querit. Sic in plantis quoq. sunt frondes, cortex, radices; non vt iam habent animam, sed vt materia sit ad vegetantem animā & ad illius functiones quam optimè comparata.

Quomodo  
plures si-  
mul for-  
ma.

Verum sciendum est, hoc corpus organici præter exteriorem confirmationem ac definitionem partium debere item habere interiorem reparationem, tum qualitatum omnium, tum maximè caloris & humoris. Hanc enim ob causam etī cadaver exteriorem omnem dispositionem, partiumq. cōformationem habeat; quia tamen interiorem temperaturam amisit; & embryo, licet internam aliquam habeat, quoniam exterior nondum est perfecta; nequaquam huiusmodi sunt organica corpora, quorum actus sit anima.

Organi-  
ratio  
quid

Hoc nimirum organici corpus illud ipsum est, quod potestate viuēs appellatur; & in tex. 6. interpretatus est Philosophus. Quam ob causam totam nunc definitionem colligēs particulam illam prætermisit, solūmq. organicum corpus tanquam notius nominauit. Eo siquidem fuerat vsus, vt declararet quidnā esset (potestate viuēs.) Quoniam hæc organi ratio, diuersitas & distinctio membrorum vel ipsi sensibus est cōspicua; potestas verò ad vitam sola mente concipitur. Propterea ignotiore prætermisso retinuit id, quod erat notius: Vt occulta & recondita anima natura quam maximè aperta & dilucida definitione explicaretur. Erat, in-

Idem or-  
ganicum  
& prote-  
state vi-  
uens.

quit Themistius in tex. 8. nomen hoc (organicum) expositio atq. interpretatio eius, quod est potestate vitam habere, atq. eadem vtriusq. vis & significatio habeda. Et rursū paulò ante hæc verba: Anima est ratio corporis naturalis potestate vitā habentis, atq. hoc est illud quod organicum vocabamur. Et Philoponus ex hoc colligit, duo hec idē significare: quod cum Aristoteles antea dixisset (potestate vitam habentis) nūc dicat (organici) altero vitæ pro altero. quod ex Alexandro in 2. lib. naturalium questionū cap. 8. acceptum est. quinetiam inquit Simplicius omiffum fuisse (potestate vitam habentis) quod in organico comprehenditur. Viuere enim necesse est illud, quod anime organū ad operandum futurum sit: atq. duo in idem incidere affirmavit, dum tex. 5. exponeret. quia quod potestate vitā habet, necesse est esse organici: quodque organicum, esse item potestate viuēs. Hoc modo accipiendum est id, quid interpres idem dicebat, v. tramq. illam particulam in definitione ponendam esse: Non inquam, quoad sonum vocum, sed quoad significationem, rēmq. duplici illa particula significatam. Et quoniam vtriusque significatio in alterutra cōtinetur, satis est alteram in definitione commemorare.

Ex quo facillè soluitur id, quod obijciūt aliqui, animam fore actū feminis & oui, si actus sit corporis potestate viuētis. Nam si potestate viuēs idem sit, quod organicum; manifestum est, neutrum illorum esse organicum; & ideo nec potestate viuēs, nisi potestate remota. At anima non est actus nisi corporis proxima potestate viuētis; hocq. semper est organicum.

Verum cum duplex sit vita, vna prima & essentialis, quam in actū primo cōsistentem anima, dum format, dat corpori. Altera secūda & accidentaria, quæ actum secūdum & vitalem operationem ab anima proficiscētē significat. Interpretes ferè Greci essentialē vitam intelligi voluerunt. Alteram Alexandro loco notato, Auerroës, & alij: Satius est verba illa per se primò ad essentialē vitam referre, secūdo ad accidentariam, quæ ex illa nascitur. Vitā anima dicatur actus corporis potestate vitam habentis; hoc est apti, proximèque dispositi ad animam suscipiendam, cuius formatione viuū efficiatur. Tum verò ad operationes quoq. quas in eo perficit anima. Proxima porro illa dispositio nil est aliud, quā necessaria corporis organici ratio & partium omnium distinctio, aptaq. membrorum cōformatio. Tūc enim corpus est aptum, vt & adueatur ab anima, & operetur. Sed quoniam anima nō recipit vitam secūdam nisi interuētū primæ; neque dat corpori operationē, nisi antea dederit esse essentialē: propterea corpus dici debet potestate primū ad vitam essentialē, tum ad operationē inde permanantem. Diciturq. potestate viuēs, vel vt inquit ferè Greci, quia etī actū habeat vitam; non ex se tamen, sed ab anima eam habet: potestate interpretates cum actū, non cum priuatione, cōstitutam. Vel potius si sit potestas cum priuatione, sit certè potestas proxima corporis optimè ad animam & omnem eius operationem comparati.

Deniq. dum animam definiuit Philosophus per vitam, quæ animæ effectus est; siue formalis, si vita prima intelligatur; siue efficientis principij, si secūda: haud quaquam ignotum per æque ignotum definiuit. Quoniam effectus semper est nobis notior, quam causa. Neque tam definiuit per

per vitam, quam per corpus potestate viuens: quod multo notius est. Et adhuc exposuit, quodnam effectum huiusmodi corpus addendo organicum in tex. 6. Præterquam quod iam exposuerat in tex. 3. quidam significare vita secunda, ex qua facile intelligi poterat vita prima. Hæc est igitur tota animæ definitio: Anima est entelechia prima corporis naturalis organici potestate vitam habentis.

TEXTVS.

Διὸ καὶ οὐδὲν ἔστιν ἐν τῇ ψυχῇ ὅτι πρὸς αὐτὴν, ἀποφ' οὗδὲ πρὸς ἑαυτὴν ἔστιν ἔνθεον, οὐδ' ἄλλως τινὸς ἐκείνου ἔστιν ὅτι ἔστιν ἢ ὅτι ἐστὶν ἐν τῇ ψυχῇ πρὸς αὐτὴν ἢ πρὸς ἑαυτὴν ἢ πρὸς ἄλλο.

Quare non oportet querere, si vnum anima & corpus. Sicut neque ceram & figuram, neque omnino vniuersumque materiam & id cuius materia. Vnum enim & esse cum multis modis dicitur, quod proprie actus est.

COMMENTARIVS VIII.

Quoniam perfecta cuiusque rei definitio, vt est in tex. 31. lib. 4. Phys. cuiusmodi esse debet, vt ex ea solui dubitationes omnes & difficultates possint, quæ de ea re excitantur. Vt ostendat Philosophus se omnino bonam animæ definitionem expo- fuisse: statim adiungit, ex ea facile intelligi dubitationem illam, cur & quomodo ex anima & corpore fiat vnum.

Primum autem oportet ponere, quid sit vno formæ cum materia. Non enim significat ipsam essentiam & naturam formæ. Quoniam intelligens anima separatur à materia & per se coheret minimè vnita cum corpore. Neque essentiam materia. Quia hæc à qualibet forma liberatur, omnèscque antecedit. Significabit igitur aliquid, quod inter vtramque sit medium. Quod ipsum vnionis nomen indicat videtur. Hoc autem nil aliud est, quam formæ & materiæ causalitas; vel, vt verius dicam, causalitatis earum modus. Hoc etenim internæ causæ, materia & forma, ab externis, efficiente & sine distinguuntur: quod illa mutuum complexum requirunt; quoniam earum essentia imperfecta est, nec suâ possunt causalitatè exercere, nisi vicissim ita sese complectantur, vt non solû causæ, sed & partes sint eius rei, cuius dicuntur esse causæ. At verò externæ causæ, vt sunt in se perfectæ, ita seipsis possunt causalitatem suam exercere; nec opus habent complexu. Et si enim agens naturale materia indigeat, in quam agat, & cum qua per actionem, quæ in illa suscipitur, verè vnietur: vniuersè tamen loquendo non ita est. Quippe Deus absque vlla materia agit & in agente quoque naturali est necessaria sit ea vnio, quæ contactu constat; hæc tamen ipsa ad formalem operationis rationem nequaquam pertinet, sed conditio quædam est ad agendum necessaria: quam ob causam & vnum intelligitur sine altero, & contactus est natura prior actione: cum possint duo quæpiam sese tangere, nec tamen inter se agere. Causalitas autem seu actus secundus materiæ & formæ sine illarum mutuo complexu atque vnione planè non intelligitur. Neque enim mente concipies materiam esse id, ex quo educatur, & in quo suscipiatur forma, & ex quo substantia

composita constituitur: nisi eam intelligas complecti formam. Nec rursus forma intelligitur dare esse materiæ aut compositam substantiam constituere tanquam actus, nisi cum materia coniungatur. Nec potest concipi forma dans esse & actuans, materiæque actuata, neque actus secundus formæ aut materiæ: quin & forma dans & materia suscipiens esse continuò intelligantur. Spectat igitur vnio ad rationem formalem actus secundi, tum materiæ, tum formæ: atque hoc solo secundus actus harum causarum ab actu secundo exterarum, efficientis & finis, distinguitur. Etenim cum omnes actus secundi omnium causarum per se primo respiciantur coniunctum: actus materiæ & formæ ita referuntur ad illud, vt intimè & seipsis perfectam illam substantiam constituent. Constitunt autè; per vnionem qua necessario fit, vt alter eorum actuum includat alterum; & ideo mutuum materiæ & formæ complexum.

Ergo vnio materiæ & formæ solum quendam actum secundum significat, quo forma materiam actuat communicando seipsam, eaque sua entitate firmando. Neque forma vnita cum materia aliud quidpiam est, quam ipsa forma actuans & dans esse materiæ, quamquam hæc vnio non totum significat actum secundum, neque integram aut materiæ aut formæ causalitatem: sed quendam illius modum essentialem, qui in mutuo illo complexu agnoscitur. Vt scilicet actus ille secundus seu causalitas sit cum eiusmodi earum rerum complexu. Itaque vnio non solum erit essentialis modus illius causalitatis, quæ inter materiæ & formam versatur, quatenus sibi vicissim sūt causæ: sed illius quoque qua ambæ sunt causæ substantiæ compositæ, Neque enim solum forma est materiæ causa complectendo illam, & materia item formæ: verum etiam per eundem complexum ambæ sunt causæ substantiæ compositæ. Quia hæc non componitur nisi quatenus altera illius pars alteram complectitur. Mutuus igitur hic complexus tanquam essentialis modus causalitatis & actus secundi materiæ & formæ est formaliter illarum vnio.

Inde vero mutua cõsequitur relatio inter partes vnitas ac sese mutuo cõplectentes, quæ in ratione causæ & effectus fundatur, atque ex causalitate vnus partis in alteram cum tali modo essentiali oritur. Et ideo cum materia & forma separantur, cessat vnio, vnionisque relatio. Quia cessat causalitas & influxus vnus in alteram, soluiturque complexus & complicatio vtriusque.

Hæc; quæ de materiæ & forma vniter se dicta sunt; de corpore item & anima intelligere oportet. Vt animæ vnio cum corpore modum quendam essentialem significet illius actus secundi & causalitatis, quo anima tanquam forma dat esse corpori per mutuum harum partium complexum. Verum cum anima & corpus sint duo inter se tantopere distincta; maximè dubitari possent, quod hoc loco dixit Philosophus, Num inter ea intercedat aliquid, quod partes illas copulet & vniet; quemadmodum aliquos existimasse S. Thomas testatur. Aut si nihil, quomodo in vnum cõstant. Id quod in ijs, quæ ab antiquis dicta fuerant de anima, perobscurum est: propterea quod de corporis potestate ad animam suscipiendam ne verbum quidem apud illos; vt in tex. 51. 52. & 53. lib. 1. dictum est. At ex definitione ab Aristotele tradita statim intelligitur. Eodem enim modo ex

Vno formæ cum materia quid.

Causarum internarum.

Vnionis relatio.

Cur ex anima & corpore fiat vnum.



item rei, quæ voce indicatur, significaret. Sic in 7. libro Metaph. tex. 15. inter omonymum & synonymum ponit medium id, quod ad vnum dicitur. Et tex. 2. lib. 4. ens neque synonymum dicitur, neque omonymum, sed ad vnum & cap. 3. lib. 11. si ens esset omonymum & commune nihil significaret, nulla de eo esset scientia, & cap. 6. lib. 1. de Moribus ad Nicomachum, bonum non esse omonymum à fortuna, sed aut ab vno & ad vnum, aut potius analogum. Et in tex. item 25. lib. 2. de posteriore analogi omonyma ab analogis distinxit. Interdum vero ampliori significatione omonymum synonymo ita opposuit, vt analogæ quoque & quæ ad vnum dicuntur comprehenderet. Ita ens omonymum dicitur affirmatiue in 1. lib. Elenchorum. c. 6. & lib. 5. Metaph. tex. 17. & alijs in locis, & in tex. 31. lib. 7. Physic. varios omonymia modos ita commemorat, vt alij sint valde remoti, nec aliud, quam vocis communionem habeant, vt exponunt Themistius, & Theodorus Metochita, atque ex implicito significat omonyma à fortuna. Alij similitudine aliquam habeant, quæ omonyma sunt à similitudine; alij demum propinqui sunt, aut genere, & hæc sunt ab vno & ad vnum; aut analogæ, & hæc sunt analogæ. Quare in libro Categoriarum omonyma sola & synonyma definiuit; omonymorum nomine analogæ quoque comprehendens & quæ ad vnum reuocantur; vt ex Græcis omnibus illius loci Interpretibus cognoscitur. Et ex Philopono Comment. 104. ad tex. 44. lib. prioris de Ortu & Interitu. Et exemplum, quod eo loco adfert Philosophus, ab Ammonio creditur esse eorum, quæ sunt ab vno. Itaque si priori modo sumatur omonymum, inter omonymum & synonymum est medium analogum & quod ad vnum: Sin posteriori modo, nihil est medium. Quælibet enim vox aut vnum pluribus commune significat, & est synonyma; aut immediatè plura, & est omonyma. Hæc autem plura, aut proportionem aliquam, seu ad vnum habitudine conueniunt, & analogæ vel ad vnum dicuntur: aut nulla profus præter vocem; & sunt merè omonyma. Si igitur animam ab animalibus separet eorum partes & corpora merè omonymum, hoc est solo nomine organa appellabis. Nullam vero edere poterunt actionem, & vsu esse ad operandum: quod vera & animata, aut quæ mox animata erunt, organa habent.

*Digressio VI. De vocum synonymia & omonymia.*

Hæc ad huius loci interpretationem satis esse quispiam indicabit. Ego nõ abs re facturum me existimo, si de synonymia, & omonymia addidero aliquid, quod & hunc locum magnopere illustret, & vero alijs pluribus exponendis necessarium sit.

Ergo quæ de pluribus dicuntur, aut voce & natura significata æquè omnibus communi dicuntur; aut voce & ratione quæpiam, qua alio atque alio modo illa participant; aut voce & alijs atque alijs rationibus ad vnum aliquid terminatis; aut demum sola voce. Ita quædam vocantur Synonyma, alia analogæ, quædam ad vnum, alia denique merè omonyma. Cur Philosophus in Categoriarum libro prius diceret de omonymis, suas habuit rationes illius loci proprias, quas nunc non est necesse commemorare. Quoniam tamen eius-

dem fuit sententia in tex. 85. lib. 1. de anima rectè nos & ipsum & obliquè cognoscere; quod illud & sui & obliqui regula sit; obliquum nec sui nec recti: placet à synonymis, quæ omonymorum comparatione sunt veluti rectum, principium facere.

Synonyma vocamus, quæ vocis & naturæ communionem habent. Quæ inquam non solum eadem voce appellantur, sed eandem etiam habent essentia definitionem. Quæ non ad rem modò voce significandam refertur (hoc enim denominatiua quoque habent), verum absolute & ad ea, de quibus vox illa dicitur. Vt omnia & communem habeant vocem, & secundum illam, eandem definitionem substantiam eorum significantem: Hoc denominatiuis non conuenit. Quippe alibi definitio substantiam & essentiam alborum corporum non attingit. At cum hominem aut equum animal appellamus, tum animalis vox tum definitio æquè vique communis est & essentialis. Significat igitur Synonyma vox naturam vnam à pluribus illis mente saltem distinctam, & omnibus æquè communem ac essentialem. Hoc genera maximè & species habent; magisque species infimæ, quæ sunt naturæ omni ex parte perfectæ eodem modo in rebus singulis existentes. Genera, vt sunt, minùs perfectæ, differentias plures & species potestate continent. Et in tex. 31. lib. 7. phys. multa in illis velut omonymia quadam latere legimus. Quod alijs atque alijs differentijs, perfectioribus aut imperfectioribus, ad plures contrahi species possunt, quarum alie sunt alijs meliores.

Quare Auerroës Comment. 2. lib. 12. Metaph. cum generis unitate dixit prioritatem & posterioritatem specierum posse consistere. Hæc enim non in generis communi natura, sed differentiarum & specierum propria vi consideratur. Nam omnis diuisio, vel etiam generis in species, vt est in cap. 2. lib. 6. Topicorum, & tex. 14. 15. & 24. lib. 10. Metaph. duobus membris constat, quorum vno alterum perfectius est, & veluti habitus comparatione priuationis.

Hinc intelliges, quid sibi velit Philosophus cum cap. de simul species dixit, quæ genus aliquod diuidunt, simul esse in illius participatione debere. Non enim negat posse vnam alteri prestare, sed vnam propter alteram generis esse participem; quemadmodum accidens ens est propter substantiam. Quod non in genere exemplaris aut finis accipias, sed formalis causæ, vt vna non sit formaliter talis propter aliam: Quod habeat vnaqueque propriam, qua constituatur, differentiam. Quid item in tex. 11. lib. 3. Metaph. cum in quibus, inquit, est prius & posterius, non potest quod de his dicitur; aliquid præter hæc significare. Quare in numerorum & figurarum speciebus reperiri posse negat vnum superius genus. Quoniam in illis vna species est prior altera. Etenim nisi disputando loquatur vt in toto illo libro, & ex particula conditionali colligitur: intelligendus est de tota naturæ specierum & generis in illis iam per differentias perfecti. Quo modo & in animalium speciebus in æqualitatem reperias. Quid demum in 7. phys. loco notato. Non enim genus dixit esse omonymum; sed in eo multa latere. Quod Simplicius & alij interpretantur, genus, seu ea quæ genere conueniunt & specie differunt, non esse vnam naturam,

*De Synonymis.*

*Specierum diuersa perfectia synonymiam nõ tollit generum.*